DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO AD...

Antonio Prati, Valenti Gonzaga



SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

ANTONIUS PRATI

FELICITATEM.



ORATIONEM *de Sanctissimo* TRINITATIS *Mysterio Te humanissime audiente a me pronunciatam ad pedes*


Tuos provolutus Tibi ſiſto, BEATISSIME PATER. *Quod vero quæ Ipſe excepiſti auribus, eadem Tuis ſubjicere oculis auſus ſim, ne quis me temere feciſſe reprehendat, de mea quadam ſpe haud fortaſſe prorſus inani Tibi confitebor. Nam quas res Oratio hæc impolita quamvis & inelegans continet, valde cum dignitatis Tuæ gloria implicitas quum viderim, eaſdem Tibi jucundas certe futuras judicavi. Ego enim ſæpius animadverti tabulis vel rudibus, ac prope etiam vetuſtate obliteratis nihil antiquius eſſe pleriſque, nihil carius, quod illuſtrium Majorum vultus, ac magnanima domi vel militiæ geſta*

ſta iiſdem exhibeant, etſi longe ipſi, qui illis delectantur, ab eorum veſtigiis aut deflectunt, aut conſiſtunt. Atqui non corporis, ſed imaginem animi virtutiſque Patrum incomptam illam quidem, aliquam tamen exprimit inconcinna hujuſmodi Scriptiuncula. Quam profecto ſi vel curſim luſtraveris, aliquam procul dubio in ea ſpeciem maximarum virtutum Tuarum expreſſam invenies. Etenim in Te etiam, qui Tibi virtutes Petri imitandas propoſuiſti, caritas illa incredibilis ſpectaculo eſt, qua Gregem Tibi commiſſum doctrina paſcis ac pietate, & divino quodam robore animi a calamitatibus probi-

hibes, ac tueris. Hæc igitur, quæ me impulerunt, BEATISSIME PATER, *ut paginam hanc meam Tibi nuncuparem, eadem quoque, ut ad Te deferam, extimulant: quod dum facio, & ſanctiſſimos pedes Tuos deoſculor, Tua me Apoſtolica Benedictione auctum iri confido.*



ORA-



ORATIO.



TSI, BEATISSIME PATER, quotidiano fere omnium ſermone victoriæ uſurpari ſolent præclariſſimæ ab invicta Chriſti Sponſa Eccleſia ex ſceleſtiſſimis hoſtibus reportatæ, qui per ſummum flagitium in adorandum Sanctiſſimæ TRINITATIS Sacramentum olim undique inſurrexerunt: tamen hodierno die, quo impenſe arcanum adeo myſterium colimus, ſi dicendo ſingulas perſequerer, non injucundam ſane ſupremo Sacrorum Antiſtiti, auguſtiſſimoque huic Conſeſſui rem me facturum minime dubitaverim. Dulce eſt enim eorum iterum atque iterum meminiſſe, quorum memoria cum egregia no-

nominis nostri, virtutisque prædicatione conjuncta est. Nam quemadmodum insignia Majorum decora in Nepotum etiam laudem cedunt, ac dignitatem: ita si priscis Christianæ Religionis Assertoribus gloriosissimum fuit, immaculatam intactamque ab impiorum machinationibus Ecclesiam posteris reliquisse; nobis etiam sic eandem accepisse pulcherrimum est; ac proinde suave, magnanimas Patrum repetere animo dimicationes, monstrorumque modo ex Libyæ, modo ex Asiæ latebris, ac vel ipso e Fidei sinu in venerandam TRINITATEM erumpentium clades funestissimas. Nostra est profecto laus triumphatorem suum ab Ægypto Athanasium, ab Galliarum Ecclesia Hilarium e prælio revertentem plausibus exceptos, sordidatas ad reditum Eusebii ab Italia vestes fuisse immutatas: nostra semper feretur, ac prædicabitur gloria ab integerrimis Ecclesiæ Patribus tot Conciliis belluas adversus Dei TRINITATEM furentes edomitas fuisse, atque prostratas: Arium vero turpissime extinctum, diminutum capite Valentinum, Servetum flammis consumptum, perniciosissimam denique hujusmodi hominum pestem ubique terrarum exagitatam, omnibus exterminatam oris quum recordamur, nostra etiam menti subeunt

Hieron. adversus Lucifer.

eunt trophæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi. At vero, quoniam haud per tempus licet ſingula ſermone complecti, apud Beatiſſimum Petri Succeſſorem quum dicam, reliquis prætermiſſis, ad illum dumtaxat triumphum fas mihi ſit orationem convertere, quem Petrus ipſe de Primogenito Satanæ in Divinam TTINITATEM inſaniente primum reportavit. Intelligitis, de quo loquar; neque enim vos fugit Samaritanus Magus ille fraudum, ac ſcelerum artifex iniquiſſimus, qui eo proceſſit amentiæ, ac furoris, ut ſe modo TRINITATEM (haud maximo ſine horrore id queo dicere) modo Filium Divinum incredibili, ac prorſus horrenda temeritate jactaret! Quod quidem immane mendacium rudi adhuc, atque incautæ credentium concioni ut perſuaderet, infandis Inferorum artibus inſtructus vel cum ipſo Petro certamen inire, coram ipſo Apoſtolorum Principe volatum moliri non exhorruit. Utinam populi frequentiam, pugnamque in luce illa Petro, atque Eccleſiæ fortunatiſſima, infeliciſſima teterrimo Fraudatori commiſſam ita vobis exprimere dicendo poſſem, ut eam prope oculis cerneretis! Juſtiſſime quidem in caput execrabile ſingulos excandeſcentes viderem, quum genti imperitæ, inſanæque, ac diro ea tempeſta-

S. Ignat. Mar. Epiſt. ad Trall.

Irenæus lib. 1. cap. 20.

Auguſtin. Epiſt. 86. ad Caſulan.

te

Maxim. Taur. in Nat. Apost. serm. 7.

te Romæ imperanti Monstro se ad Patrem tamquam Filium ascensurum audacissime promitteret: simulque animo atque oculis in Petrum defixis, ac nutu eundem quasi extimulantes aspicerem, ut os impurissimum obstrueret perditissimo homini, eumque a nefariis ausis deterreret. Attamen nihil omnino dementibus illius vocibus Apostolum commoveri promissisque inanibus vidissemus; optime enim ipse noverat, quid sua interesset. Pugnandum sibi erat, ut triumpharet, atque homo profligatissimus ut caderet, volaret antea oportebat. Itaque hinc cernere esset flagitiorum omnium Auctorem a solo sensim recedere, mox altius tolli, jam demum rapido ascensu turres ultra evadere, sublimiores aeris regiones petere; clamare circum, plaudere, infremere multitudinem. Illinc vero se ad terram veritatis Magistrum demittere, in preces ire; ne impunem Deus execrandam temeritatem pateretur, ne inultum Verbi honorem, totiusque TRINITATIS decus relinqueret, ne tot Gentes hujusmodi fraudibus irretitæ in errorem miserrime abriperentur: Rueret fraudum Inventor flagitiosissimus, ita tamen rueret, ut iisdem risui esset ac ludibrio, quibus jam fuerat admirationi. Atque ita sane factum est: Cum enim foedissimus

Clem. Roman. Const. 9. cap. 9.

mor-

mortalium tartareis elatus dolis subjectas ex alto Gentes irrideret animo deceptas, Pastoremque summum despiceret prostratum humi, in preces effusum, volatu extemplo abrupto, serpens veluti rapacis ungue volucris elapsus præcipitavit: machinamenta enim superbiæ victa sunt demissarum precum simplicitate, & fervida prior ascendit ad Dominum Petri oratio, quam temerarius Simonis volatus. Tum vero ruentem, ac gravi in saxum casu illisum, cruribus, capite perfractum, trahentem ægre corpus, seque ignominiæ subducentem dicteriis, contumeliis insectantur, quem plausu se modo per aera tollentem prosecuti sunt. Abi nunc ad Patrem vere tuum, ad perfidissimum Spiritum illum, qui te maximo in periculo certantem dereliquit; sic eat quicumque, aut in sanctissimum hocce Fidei mysterium, aut in cetera intemerata Christi Sacramenta ex ultimi Septentrionis antris perduellis emergit. Et pessum ibit certe; Quid enim in tam magno, ac fausto die non sperandum tanto præsertim Ecclesiæ Pastore? Humiles Principis Apostolorum preces bacchantem in unum trinumque Deum belluam præcipitem dederunt: Preces rursum, atque admiranda Petri Successoris demissio frementes omnes in Christianam doctrinam be-

Maxim. Taur. ibidem.

Arnobius advers. Gent. lib. 2.

beſtias proſternent, ac mala ſimul omnia, queis luctuoſiſſimis hiſce temporibus premimur, exterminabunt. Vidimus Eum omnes per compita, & vias, quum Ipſe ſit innocens, ad Templa pedibus gradientem, iram divinam a populo ſuo deprecaturum, & quanta, Deus immortalis, cum pietate vidimus! Videbimus etiam Templa eadem, videbimus profecto lætas inter voces Gentis ex ore belli, calamitatumque faucibus ereptæ repetentem Uni Trinoque Deo pro tanto beneficio gratias relaturum. Id eximia Ejus integritas, Ejuſdemque piiſſima ſacri hujus Collegii imitatio ſperare jubet, ac TRINITAS præcipue ipſa Sacratiſſima, cujus hactenus triumphos commemoravimus, cujus Omnipotentiam, Sapientiam, Amorem hodierno peculiari cultu in tribus diſtinctis Perſonis, unoque Deo veneramur.



FINIS.